





36 8

Q. D. B. V.
DISSERTATIONE METAPHYSICA
VITAM AETERNAM
EX RATIONE GENTIVMQVE
CONSENSV,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE IVVENTVTIS AC DOMINO,
D. FRIDERICO WILHELMO
ELECTORATVS BRANDENBVRG. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

SVB MODERAMINE
IOH. PETR. LVDOVICI,
LOG. METAPH & POES. PROF. PVBL.
SVIQVE COLLEGII h. t. DECANI,
PRO CAPESSENDIS SVMMIS IN PHILOSOPHIA
HONORIBVS,
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
ASTRVET ET PVBLICE PROPVGNABIT
IOHANNES HENNIG,
WALWICENSIS SAXO.

D. V. Decembr. clō Iōc Ivc.
H. L. Q. S.

TYPIS CHRIST. ANDR. ZEITLERI, ACAD. TYP.

DISSERTATIONE METAPHYSICA
VITAM AETERNAM
EX RATIONE CENTIMOVIS
CONSENSU

LECTORE MAGISTRO
D. FRIDERICO WILHELMO
RECTORATVS BRUNSVIGENSIS

PER MOBERANNUM
IOH. PETR. LYDOLVICI

PRO CAPESSENDIS RVMMS IN PHILOSOPHIA
HONORIS

IN FLUSTRI ACQUAMILLI
ASTVET ET
IOHANNES HENNIG

D. V. Decemb. cl. 1763
H. L. 2
TYPIS CHRISTIANI ZWILLER, ACAD. TYP.





§. I.

Lire meritoque SPENERUS, perenne illud Philoso-
ordinis sui decus ac lumen, suomet cal- phiam ad
culo adprobat (a); quod, divini quondam Deum
ingenii vir, Franc. Baco de VERULAMIO reducere
contra iniquos cum omnis; tum mecha-
nicæ in primis philosophiæ obtrectatores, sapienter
considerateque scripsit (b): *philosophiam, obiter liba-*
tam, a Deo abducere; penitus haustam, reducere ad eundem.
Jejunam ille superstitiosorum hominum, & suo tem-
pore, quorundam Theologorum maxime, zeloty-
piam perstringit pariter, ac discutit atque refellit,
qui, puerili errore, ne artium ac scientiarum termi-
ni proferrentur, id est, ne veterum ignorantiae a-
syla, quibus plerosque rerum naturalium effectus
vel ad conditorem universi tantum; vel ad, nescio
quas, formas substantiales occultasque qualitates,
praepostero ordine, retulere, in Academiis exula-
rent, perverso studio suo, dictatoria quadam nihilo-
minus autoritate, voluerunt. *inflare quippe scientiam,*
dicebant; doctissima secula in atheismum proclivia fuisse;
contemplationem secundarum causarum autoritati primae
causae derogare, & quae fanaticorum, in Anglia tum
maxime sic delirantium, nugae fuerunt generis e-
jusdem. Quibus vero idem gnaviter adeo respon-
det; ut nugigeris manibus hastilia partim excutiat;

A 2

non-

(a) in Confessione naturae contra Atheistas Part. I. p. 125.

(b) de Augment. Scientiar. lib. I. p. 10.

nonnunquam & retorqueat sapienter, ut suis armis comperirent. Nemo sane inflatur a scientia; quae humiles facit, quosquos sui facit cognoscentes. Scit enim parum ille, qui quantum ignoret, nescit. neque inter eruditos vel unum reperies; qui non illud inclamet: quantum est! quod nescimus. & quaeso, quis eorundem non abnueret? vel dediscere omne, quod scit; pro eo, quod nescit. Adeo istud SALOMONIS hic etiam verum: *Oculus, videndo, auris, audiendo, non satiatur.* Sic enim infatiabilis, ut TULLIUS (c) ait, mentibus nostris veri visendi natura inest. Ceterum, absit! ut ignorantiam nostram in causis secundis pietati erga primam obstetricari dicamus. Quid enim? uti vere HIJBUS, num Deus indiget nostris mendaciis? aut, num Christiana religio praefidium in imposturis quaerit? Ecquae major blasphemiae atrocitas? quam Authori veritatis imundam mendacii hostiam immolare. Et, detur; quod SPINOSA & HOBBIUS, pessima capita, & Deistarum illi duumviri e philosophantium hac schola exierint: sufficit huic veritatis prytaneo ad sui immunitatem, illos exiisse. Judam enim socium habuisse; nocuitne Apostolis? Philosophentur igitur adolescentes, juvenes, viri, senes, quantum possunt! nihil exinde periculi sument puriora sacra. Potius illud PLATONIS (d) polliceor: *philosophia est mortis meditatio.* Quae enim, ut graviter TULLIUS (e) physices ignara antiquitas de animae immortalitate, atque alia post mortem vita, bona tantum fide credit: illud idem feliciora nunc secula in causis rerum

(c) *Quaest. Tuscul. lib. I. p. 13.* (d) *in Phaedone p. m. 36.* (e) *quaest. Tuscul. lib. I. p. 9.*

rum & rationibus intuentur per philosophiam. Atq; hæc fere eadem præsentis instituti nostri ratio est. Agite igitur! avertite oculos; sed mentes afferte! ut arduum laborem nobiscum feliciter ingrediamini.

§. II. Ne vero, de vita aeterna acturus, muneris mei limites vel transire videar, vel falcem in messem alienam immittere: in limine statim sancte testor; e sola rationis scaturigine me in præsentia haurire mea velle; ad limpidos Israelis fontes, quos amplius satiare nequivero, remissurus, ipse provocaturus nunquam. Quibus limitibus circumscriptum thema professioni meae adseruit olim magni nominis GERHARDUS (f) & hoc non inferior admodum HILDEBRANDUS idem ac ego sibi proposuit institutum. (g) Nunc oram solventibus bene precemur.

§. III. Ut intelligatur, quid sit id, de quo futura sit disputatio: voces circumscripta prius explicati-
 one definiendae; quibus nobis erit deinceps utendum. Atque cum, quid vivere sit, neque explicari possit penitius, neque distinctius dividi; quam ejus probe expenso contrario: mortis ante habemus rationem. Est vero hæc, pro rerum varietate nec ipsa eadem. Cum enim res vel spirituales sint vel materiatae, vel ex materia denique & spiritu conjunctae: *Mors* in his nihil est aliud, quam, quod PLATO (h) dixit: ψυχῆς καὶ σώματος ἀλύσις. hoc est, ut TULLIUS (i) ait: discessus seu emigratio mentis e

Ei thema vindicatur.

Definitiones.

I. mortis in rebus 1) ex spiritu & mat. conjunctis.

A 3

cor-

(f) Loc. Theol. de Vita aetern. c. II. §. 21. (g) Traët. speciali de vita aeterna ex Lum. Nat. probata. (h) in Phaedone p. 36. 38. nec in Gorgia aliter p. 493. (i) Quest. Tuscul. lib. I. p. 6.



2) materia-
tis tantum.

3) Spiritu-
alibus tan-
tum.

II. Vitæ in
rebus 1) ex
spiritu &
materia
conjunctis.

2) materiæ.
3) in spiri-
tualibus.

III. Æter-
nitatis.

Mens a
materia re-
bus imma-
teriatis
vinducatur

corpore; sive vinculi quod tenet & ligat utrumque
dissolutio: in *illis* vero, materiatis scilicet, est machi-
næ, quam habent, destructio. quod vel mutilatione,
vel inversione, vel resolutione partium fit in sua,
ex quibus composita erant, principia. hac ratione o-
mnis generis animantia, plantæ, lapides, gemmæ,
automata item & horologia resq; arte factæ omnes
moriuntur: neque artis hic a naturæ operibus dif-
ferunt; nisi quod hæc vulgus mori dicat; illa vero
tantum philosophus. Tandem res spirituales mori
dicuntur; cum a causa, a qua pendent, extingvun-
tur, i. e. in nihilum intereunt. Quibus intellectis,
quid vita sit, facili nunc opere perspicitur. Istic e-
nim est cohærentia materiæ & spiritus: ibi, cohæ-
rentia partium mechanice unitarum. hic tandem
est constans sui existentia & duratio. Porro Æter-
nitas nobis non qualis BOETHIO (k) est: *interminabi-
lis vitæ* tota simul & perfecta possessio*; ubi omne vitæ
spatium pariter comprehenditur, neque, ut in tem-
pore fit, præsens a præteritis in futura procedit: hoc
est, ubi prima cum ultimis, principium cum fine,
præterita cum futuris in præsentis jugiter constant:
quali etiam ratione TULLIUS (l) eandem videtur
delineasse: sed nostro instituto vocem non aliter
adhibemus; ac durationem notat, calculo humano
indefinitam. Græci idem *ἀθάνατον* dicunt, voce neq;
Latio ignorata.

§. IV. Mentem autem humanam, cui hanc vitæ
æternitatem vindicare instituimus, propius intuea-
mur, oportet. Hanc omnis materiæ expertem esse
postu-

(k) lib. V. Consolat. Philosoph. Prosa VI. p. m. 125. (l) de Natur.
Deor. lib. I. p. m. 276.



postulare, sine prævia ejus probatione, possem: verum ne onus hoc subterfugisse videar, id ipsum, sed breviter, adstruere conabor; in ipso conflictu, si occasio detur, prolixior futurus. Sententia inter philosophos est: *operationes arguunt rerum essentiam*. Quod ¹⁾ opreati-
 si igitur mens nostra in actionibus suis res materi-
 onum sub-
 atas longissimo post se spatio reliquerit; eas ipsas in limitate.
 essentia etiam sua superabit. Ast vero ad animi no-
 stri operas, quod attinet; de iis veterum philoso-
 phorum ore potius ac meo loqui malo. Ita enim
 TULLIUS, cum hos eosdem animi humani stupen-
 dos effectus in inveniendis artibus, ordinandis Re-
 bus publicis, divinando item, atque ex præteritis fu-
 tura colligendo, dijudicando curate præsentia, & ce-
 tera longa serie perlustrasset, harum rerum subli-
 mitate convictus, tandem inquit (m): *Animorum nul-
 la in terris origo inveniri potest. nihil enim in animis mi-
 xtum atq; concretum; aut quod ex terra natum, atq; fictum
 esse videatur nihil est aut humidum quidem, aut stabile,
 aut igneum. his enim in naturis nihil inest, quod vim memo-
 ria, mentis, cogitationis habeat. quod & præterita teneat, &
 futura prævideat, & complecti possit præsentia; quæ sola
 divina sunt. singularis igitur quædam natura, atq; vis animi
 sejuncta ab his usitatis notisq; naturis.* Similia fere a
 principe philosophorum ARISTOTELE mutuari po-
 tuit idem (n). *Cogitare enim & providere ait, & discere,
 & docere, & invenire aliquid, & tam multa meminisse, a-
 mare, odisse, cupere, timere, angi, letari hæc & similia eorum
 in nullo quatuor principiorum, (quamvis ego quidem
 excepero quædam) inesse possunt.* Nec infelicius huc
 digitum CASSIODORUS (o) intendit: *Omnia corporalia*
 tribus

(m) lib. I, Tuscul., p. m. 17. (n) l. c. p. m. 7. (o) lib. de An. c. 4.

tribus novimus lineis contineri longitudine, latitudine & profunditate. nihil tale probatur in animo reperiri. Deinde, quod sociata corpori, quamvis ipsius malo prægravetur, opiniones rerum sollicita curiositate perpendit, cœlestia profunde cogitat, naturalia subtili indagazione vestigat & de ipso quoque conditore suo ardua nosse desiderat. Quod si esset corporalis, cogitationibus suis spiritualia nec cerneret utique nec videret. Et alio loco (p) idem pergit: Ratio nostra quot bona invenit! literarum hæc formas reperit, diversarum artium utilitates disciplinasq; protulit, civitates muribus cinxit, varii generis amictus ejecit, ornavit pulcherrima fabricarum dispositione tellurem, & cetera. quæ enim ARNOBIUS objicit (q) aut huc non pertinent, aut falsitatis merito arguuntur. Quid? quod si fidem charitatem benevolentiamq; spectamus, jure cum AUGUSTINO (r) dicimus: Quid in sanctis? quid in martyribus amamus, membra laniata a feris? quid fœdus, si oculos carnis, quid pulchrius si oculos * mentis interrogas? quid tibi videtur adolescens pulcherrimus, fur? quomodo horrent oculi tui? cum audis, quia fur est, fugis hominem * animo. Vides ex alia parte senem curvum, baculo innitentem, vix se moventem, rugis undequaque exaratum: quid vides quod oculos delectet? audis quia justus es, amas, amplecteris. Accedit, quod, si ex fide Medicorum agamus (s), nullibi quidem, neque in ipso cerebro, ubi tamen sedem rationis ponimus, aliquid brutorum craniis omnino disimile reperitur. non contemnendo argumento animam organicam non esse.

Tan-

(p) lib. cit. c. 7. (q) lib. II. Advers. Gent. p. m. 71. (r) Tractat. III. in Job. (s) Thom. Browne Relig. Med. Sect. XXXV. p. 211. contestatur idem Philosoph. Burgund. Auctor. Tract. III. Met. Diss. III. quest. 1. p. 189.

Tantum igitur abest, ut stupenda hæc mentis nostræ opera ad corporis rationem possint referri; ut potius eandem à carceribus & vinculis corporis nostri toties retrahendam esse, quoties cogitatione aliquid assequi velimus, ne iudicium cum sensibus confundatur, non absurde ex Pythagoricorum mente dixerit JAMBLICHIUS (s). τὸ σκοπὸν θεωρεῖσθαι, inquit, τὸν κρείττατον ῥύσασθαι καὶ ἐλευθερῶσαι τῶν ποιῶτων ἐργῶν καὶ συνδέσμων τὸν κατεχόμενον ἐκ βρεφῶν ἡμῶν. & quæ sequuntur. Neque vero actionum sublimitas tantum mentis spiritualitatem facit manifestam: sed spontaneus item motus ejus eadem certitudine idem arguit. Cum enim Platonis illud, quo animum αὐτοκίνητον (t) hoc est, ἑσίου νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κίνητην (x) vocat, nullus non secum ipse sentiat: [ut recte PYTHAGORAS (y) mentem corporis aurigam dixerit] hæc ipsa animi efficientia non minus eundem numero rerum mechanicarum corporaliumque eximit. Quamvis autem PLATONEM (z) CICERONEM (a) aliosque (b) eodem hoc argumento ad mentis ab æterno existentiam astruendam ab usus, ab aliisque (c) merito suo eapropter confutatos esse, nec

B ipse

(s) in vita Pythag. c. 32.

(t) in Phadone p. 344. quod prolixius Alcinous explicat c. XXV. Doctrin. Plat.

(x) teste Theodoro V. Grac. Affect. Confer. etiam Aristot. l. 1. de Anim. c. 2. S. 22. (y) versus ipsos Schedius exhibet c. XIX. de DIS Germ. (z) in Phadone p. 344.

(a) Tusculan. I. p. m. 15. & de Senectute Idem. (b) Plotinus Ennead. IV. lib. 7. c. 9. (c) Aristotel. de Anim. c. 3. Lactantio. V. c. 8. quid his respondendum, Macrobius consule in Somn. Scip. lib. II. c. 14.

Comenta
eorum, qui
mentem
hom. cor-
poream fe-
cerunt.

ipse ignorem : verisimum tamen illud est ; quod plerique eorum adseruerunt : *Sentire animum se moveri, quod cum sentiat, sentire una ; se vi sua, non aliena moveri.* (d) Et, si dicere, quod res est, debeo ; non tam ex motu, quam motus libertate animum materia expertem esse elucet. Ast quorsum plura afferrem ? cum hæc ipsa ad mentem nostram è Physica eximendam & vindicandam Pnevmaticæ prorsus, sufficiant. Exulet igitur veterum æque ac recentiorum quorundam insana dementia. qui mentem nostram materiata esse, non ferendo errore, sunt professi. Cujus essentiam vel in corpore subtilissimam cum EPICUREIS (e), TERTULLIANO (f), & horum sectatoribus (g) quæsierunt : vel in aere po-
fue-

(d) Tullius l. c. (e) Plutarch. lib. IV. de Placit. Philosoph. & Laert. Vit. Epic. lib. X. p. 630. testibus doctrinam ejus plenius exhibet. P. Gassendus Syntagm. Philosoph. Epicur. c. XVII. p. m. 311. Quo pertinet Democrati opinio, qui in atomis rotundis & summe mobilibus animæ naturam quæsit, teste Arist. lib. I. de An. c. 2 & Tullio lib. I. Q. T. p. 7.

(f) lib. de Anima & carne Christi, quem, quamvis cum Augustino libro de heresi c. LXXXVI. & Epist. CLVI. ad Optatum, quidam defendere conantur ; ac si corporis vocabulum pro substantia sumpsisset, quo de Joh. Baptista Crispus Gallipolitanus legi potest Disrib. III. lib. I. de Ethnic. Philosoph. caute legendis. p. 461. & 479. sq. cum tamen optimus Pater eos simul erroris arguat, qui mentem incorpoream esse dixerant, non in vocabulo errorem : sed re ipsa reposuero cum Conimbricensibus lib. II. de Anim. c. 1. quæst. 1. art. 6.

(g) qui ex aliis vel decepti à Tertulliano sint, vel similia hic sentiant, recenset ex Gassendo Trogil. Arnkiel de Philosoph. Epicuri c. 9.

fuerunt cum ANAXAGORA (b) vel in terra speciatim cum XENOPHANE (i), vel cum STOICIS in igne (l) vel in aqua cum THALETE (m), vel in igne pariter & aqua, ut HIPPOCRATI (n) placuit; vel cum EMPEDOCLE in omnium quatuor elementorum mixtione; (o) vel, ut visum XENOCRATI (p), in figura; vel ex PYTHAGORAE mente in numero (q), vel in harmonia cum ARISTOXENE (r), vel ex CRITIAE sententia (s) in sanguine. vel denique execranda malitia animam esse cum PHERECRATE (t) penitus negarunt. Absit! ut, quod VORSTIUS atq; HOBBSIUS

B 2

fece-

(b) quorsum Theodoretum lege lib. V. de cur. Grac. Aff. ubi & Anaximandrum, atq; Anaximenem sic invenies docuisse. confer & Plutarchum de Plac. Phil. lib. 4. c. 3.

(i) non hunc solum; sed Parmenidem etiam ita sensisse testatur Arnkiel de Plac. Epicuri c. 9. modo ei Laertius non obsit lib. IX. n. 19.

(l) Testatur Arist. l. de An. c. 2. Cicero I Tusc. Academ. 2. lib. 1. & de Nat. Deor. II. Plutarch. de Placit. Philosoph. lib. IV. cap. 3. Nemesius de Nat. homin. c. 2. an hujus erroris etiam argui Origenes debeat? Menagium vid. in lib. VII. Laert. p. 325. cui sententiae Aristoteles lib. I. de Anim. c. 2. adscribit etiam Democritum.

(m) Hic enim ex aqua omnia constare dixit. Inde Laert. lib. I. §. 27. in eumque Menagius l. c. & ante jam Aristot. I. Physic. c. 9. Cicero in Lucullo, lib. I. de Nat. Deor. & lib. V. Acad. Quest.

(n) Sect. IV. p. 44. (o) Aristot. testatur lib. I. de Anim. c. 2. qui singulis etiam elementis animam tribuit, quod delirium resuscitavit Thom. Campanella.

(p) Cicero ita in Tusculan. l. p. 6.

(q) Plato in Phaed. p. m. 50. (r) Tullio docente Tuscul. p. m. 7.

(s) Aristot. auctor est lib. I. de Anim. c. 2. p. 27.

(t) monitore Cicerone Tusc. lib. I. p. 7. quem, animam nihil nisi nomen inane esse, ait perhibuisse.

fecere, cum his perditæ sic philosophemur. Aliter sane sapientioribus est visum, qui corpora nostra nunc carcerem mentis (*u*) cuius vincula venæ nervi & arteriæ sint (*x*) nunc sepulchrum (*y*) appellarunt. Imo detrudi purissimum hunc spiritum in corpora nostra, pœnæ gravissimæ ergo (*z*) è cælo (*a*) tanquam in infernum, atque ibidem, quo gravius delictum sit, eo diutius detineri (*b*) tradiderunt. Cum enim hominum animas genus Dei (*c*) imo Numinis ipsius essentiæ modicam particulam crediderint (*d*); à quo ceu fonte vel hausta (*e*), vel ut

ramus

(*u*) Jamblichus in vita Pythag. c. 36.

(*x*) Laertius in vita Ejusd. δεσμα εἶναι τῆς ψυχῆς τὰς φλέβας καὶ τὰς ἀρτηρίας καὶ τὰ νεύρα.

(*y*) Clem. Alexandr. lib. III. Strom. p. 433.

(*z*) Philolaus ita ap. Schedium de DIS Germ. c. XIX. p. 311.

(*a*) Condidisse Deum definitum animarum numerum, quæ omnes in cælo, ubi integri populi animarum existent, beatissime arent; inter quas, si quedam peccet, illam tum demum in corpus demitti, crediderunt. vid. Theodoretus lib. V. de curat. Gr. ff.

(*b*) Macrobius hæc abunde prosequitur lib. in Somn. Scip. c. II. p. 26 & seqq.

(*c*) Quæ verba Paulus Act. XVII. v. 28. cit. τὸ γὰρ ἡ γένος ἔσμεν; Poeta Aratus habet Phenomen. vers. V. p. m. 334.

(*d*) Error hic olim Gnosticos, Manichæos & Priscillianistas egit, ut ex historiis notum. Ita etiam Plato ante dixit: ἡ δὲ ψυχὴ ἔκ ἐργον ὅτι τὸ ἴδιον μόνον ἀλλὰ καὶ μέρος. ἔδ' ὡς αὐτὴ καὶ ἐξ αὐτῆς γέγονεν. Pl. in Plat. Quæst. Proclus in Platon. Tim. p. 314. & Ficinus ad Plotin. Ennead. III. lib. IV. inde Jamblichus animam Deo ὁμοίσιον facit de Myst. Ægypt. Sect. VIII. c. 6. & ap. Stobæum p. 108.

(*e*) Ita Zoroaster Magnus in suis oraculis ψυχῆς ὄχετ' animæ fontem appellat Deum. vid. Weitzius in prud. Hymn. X. p. 586.

ramus ab arbore decerpta sit (f): indignissimum longe videbatur, purissimum spiritum crassæ materiæ alligari non solum; sed etiam, quod magis miserandum, cum eadem suo infortunio commisceri. Hæc vero, quamvis omnia non adprobem; illud tamen sufficit; quod hominem mentem incarnatam (g) spiritum item corpori clausum (h) non absurde definiverint Philosophi.

§. V. Quemadmodum autem à Tullio recte infertur (i) si cor, aut sanguis aut cerebrum est animus, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: si aer est, fortasse dissipabitur; si ignis extinguetur; si est harmonia dissolvetur: ita prona e contrario consecutione fluit; quod si anima corporis ac materiæ expers sit; a tali etiam morte, quæ materiatis tantum accidere rebus solet, eam fore immunem. Non enim mutilari poterit; quia non est extensa; non inverti, quoniam dimensio ejus penetrabilis est; neque partium denique solutione destrui; cum nullis partibus constet. Una igitur jam morte, §. III. p. 6 delineata, mentem nostram exemimus. Ex altera vero, quam ibidem dialysin atque discessum animæ à corpore diximus, non plus eadem detrimenti accipit; ac Lotho, piissimo viro, nocuit olim Sodomam periisse. Expectatis igitur; an-

Per spiri-
tualitatem
anima exi-
mitur mor-
te.
I. rer. ma-
teriatarum

II. compo-
sitarum.

B 3

non

(f) Ciceronis loquendi formula Tuscul. Q. libr. ult. 9. humanus animus, decerptus ex mente divina, cum alio nullo nisi cum ipso Deo comparari potest.

(g) ita Epictetus ad questionem Hadriani Augusti respondet. p. m. 231.

(h) Arnobii mens est. lib. II. adv. Gent. p. m. 65.

(i) libr. I. Quæst. Tusc. p. 8.

non tertio mortis genere mens nostra perdat? id quod dabimus nunc commonstratum.

Annon tertio mortis genere in nihilum intereat anima?

§. VI. Ita enim est. Detur, quod anima nullum intra se, ut cum vulgo loquar, mortis aut corruptionis principium habeat; detur etiam; quod creaturarum nulla extrinseca quadam eam violentia perdere, multo minus extinguere possit; cum ejusdem potentiae, h. e. infinitae, utrobique sit; ex nihilo facere aliquid; & ex aliquo facere nihil; quare & materiam in se spectatam, dispari licet ratione, immortalem dicit philosophus: id tamen nondum evictum est; utrum Deus, cum corporis destructione, non animam simul in nihilum velit interire. Cum enim in omni esse suo hic spiritus noster a Deo optimo ita pendeat, ut sine eo nequeat conservari: quid si idem Deus conservationem hanc in morte cujusque hominis communi tollere, nec animam diutius ac corpus organicum voluerit superesse? (1) Si enim mentem corporis aurigam diximus supra: quid quaeso auriga opus? si vehiculum, si currus, si quadrigae perdita ablataque fuerint. Hujus igitur sententiae contrarium evincere hoc opus, hic labor. Nec parva ab hac quaestione rerum momenta pendent. Uti enim recte non nemo scripsit: si animam demus interire, aut expirabit religio; aut turpe sophisma fiet Luciani. Frustra sane tanto hodiernum adparatu contra Atheos procedunt alii, cufis ac recufis subinde adversus insaniam hanc libellis. Vix enim aliquis vecors adeo est, ut, qui caelum adspiciat, Deum esse inficietur? Ast vero, qui

Gravitas quaestionis hujus.

(1) Quod vulgi argumentum perstringit Plato in Phaedone pag. 43. & 44.

ro, qui Deum res mortalium curare, aut hominis magis ac ceterorum animantium brutorum curare inficiantur, proh dolor! quot sunt? Quanta Deistarum, quæso, ubiq; colluvies! qui vitam post mortem pro svavi tantum hominū otiosorum somnio; improborum vero cruciatus pro cœcæ plebeculæ terriculamentis habent. Et contra hanc scelestissimam hominum turbam, quotusquisque est, qui viribus condignis pugnaverit hactenus? Infigamus igitur hic mentem; ne id amittamus, à quo stabilitatem religiones omnes; & singulæ Respublicæ suum tutamentum habent. quod pietatem in miseris alit spe: procacitatem ac scelera in ceteris timore ceu futuri iudicii augurio quodam coercet. In hoc autem instituto nunc ita versabor; ut misis argumentis levioribus ceu multitudinis superstitionis duntaxat terriculamentis, ea tantum afferam, quæ apud eruditos etiam quosque robur firmitatemque habent; & quorum in me ipso incipit fides. Frustra enim me operam daturum censeo, ut persvaderem aliis; quæ non ante mihi persvasissem. Adeo CHRYSOSTOMI (m) illud cogito: qui in hâc materiâ vult aliquid dignum proferre; ipse ante omnes debet hoc calore fervere; salutari hoc incendio primus igniri. quo possint etiam sermones, qui ab eo proferuntur, ignire & accendere animos auditorum.

§. VIII. Deum sine justitia concipere, idem est, Vitam æternam fore, hominū scelera probant.
ac solem sine lumine. Hanc enim virtutem quis
in terris quæstiverit? si ipsa exularet e cælo: aut quis
exegerit æquitatem in creaturis? si conditor universi
esset iniquus. Quod si ita Deus arbiter justitiæ

(m) lib. II. de Compunctiōe cordis.

tiæ & æquitatis maximus est: mortaliū quæso nunc facta, atque post fata eorundem mecum intuere. Illud invenies; bonos non miseros solum: sed tales plurimum ob studium cultionemque virtutis esse: florere contra improbos copia rerum ac abundantia, ut præmia improbitatis suæ sæpius tulisse videntur. Judica porro quisquis es! quo æquitatis tandem genere Deus, vindex justitiæ ac custos, facere non dico, sed permittere tantum possit? ut sui cultores, ob hanc sæpius unicam causam, quod ei adhæreant, eum venerentur, colant, & ipsi totos se devoteant, vario calamitatis ac infortunii genere premantur non solum; sed etiam, idque non raro, siquidem hac vita omnis metiri debet felicitas, supprimantur: ex adverso, ut illis, qui verbis factisq; eum recusant, contemnunt, despiciunt, & quantum penes ipsos est, blasphemias proscindunt, & quovis malitiæ genere insectantur, vivant nihilominus, vigeant, floreat, atque in mala hac causa veluti triumphent: summatim dicam, ut bonis male & malis bene sit. Equidem virtutem propter se colendam esse, sibi-que ipsam præmio sufficere penitus existimo: neque etiam probitatis adeo magnæ signum esse, qui Deo præmii spe, aut mercedis cujusdam expectatione serviat, cum Antigono ΣΟΧΛÆΟ (n) hoc casu sentio: ast vero licet postulare pro debito labore pretium aliquod hominis credam impudentis: tuebitur tamen

An idem &
virtus?

(n) Hujus viri dogma fuit; non esse serviendum Deo spe præmii & mercedis. Hinc Saducæi, perversa deinde mente, neq; largiri Deum talia velle, concluderunt. ut adeo futuri seculi & felicitatis spe nos ipsos pulchre decipiamus. conf. Vossius lib. 1. Idolatr. c. 10. p. 38.



tamen Dominus servum bonum ac obsequentem
 contra malevolorum insultus: neque id solum; sed
 fidelitatem quoque illius beneficiis suis quodam-
 modo adprobabit. Quod cum facere Deum (sapi-
 enter quamvis, quoniam ut fortius quandoque nos
 amet, ex SENECA (o) loquor, nostra etiam inter-
 sit,) in hac vita animadvertere nequeamus: cer-
 tam futuri seculi spem non frustra exinde capimus.
 Vere C. Marcius ille CORIOLANUS (p) in concione
 inquit: *ἐκ οὐδ' ὅπως μακαρίους ὑπελάβω τοὺς μηδὲν ἀπολαύ-
 σοντας τῆς ἀρετῆς ἀγαθόν, δι' αὐτὴν δὲ ταύτην ἀπολλυμένους;*
haud video, quomodo beatos credere debeam? qui, nullo ex
virtute fructu percepto, etiam propter eam pereant. EX-
 plicatius idem LACTANTIUS (q) profequitur: *ma-*
xima erit profecto vanitas, obsequi velle virtutibus, quæ fru-
stra homini calamitates asserunt, & labores. nam si virtus
est, egestatem, exitium, dolorem mortemq̄, quæ timentur a
ceteris, pati fortiter ac subire: quid tandem in se boni ha-
bet? cur eam propter seipsam philosophi dicant expetendam?
nimirum supervacuis & inanibus pœnis delectantur, quibus
*licet agere tranquille. * Si enim mortales sunt anima, si*
virtus, dissoluto corpore, nihil futura est: quid fugimus attri-
buta nobis bona? quasi ingrati aut indigni, qui divinis mu-
neribus perfruamur. Quæ bona, ut habeamus, scelerate im-
pieque vivendum est: quia virtutem, id est, justitiam ege-
stas sequitur. Sane igitur non est, qui, nulla spe majori pro-
posita, iis bonis, quibus ceteri utuntur, in vita labores & cru-
ciatus & miseras anteponat. Similia vere res hæc
 CHRYSOSTOMO (r) expresfit, aliisque, qui apud EU-

C

GU-

(o) De providentia in med. (p) Dionys. Halicarnass. lib. VII.
 p. 350. (q) Divin. Institut. l. VII. 9.
 (r) Homil. IV. de Provid. Dei.

GUBINUM (s) ubertim reperiuntur. D. NAZIANZENI (t) sententiam adhuc audire lubet, quam jambicis versibus ita reddidit:

Εδειδὸν ἦν ἂν ἡ τῆδε δυσπραξία;

Μὴ τῶ θεῷ σφέροντος ὕψυρον κώβους.

Graviter aliter esse rebus hic duris premi;

Nisi summus olim verteret talos Deus.

Sane, quod miror, scelestissimus ille nequam, Deorum hominumque risor, LUCIANUS (u) veritatem hanc noluit dissimulare. ita enim ille: ἀνθρώπων ἐκ μὴ ὄντων θεὸς ἐστὶ τὸ εἶναι παρήγαγε, καὶ ἔστιν ἐν ἔργῳ, βλέπων δικαίους τε καὶ ἀδίκους, καὶ ἐν βίβλοις τὰς πράξεις ἀπογραφομένος. ἀναποδώσει δὲ πᾶσιν, ἣν ἡμέραν αὐτὸς ἐνεείλατο. hominem, inquit, ex nihilo ad essentiam produxit Deus, estque in cœlo adspiciens justos pariter atque, injustos, & in libris describens, cujusque res & actiones. Rependet autem omnibus ea die, quam ipse præfinivit. Atque hoc idem est, quod animum addidit tot undique calamitatibus cincto pressoque; EPICTETO (x) qui in extremam miseriam detrusus, placidissime inquit:

Δῆλος ἐπίκτητος γενόμεν, καὶ σῶμ' ἀνάπηρος

καὶ πενίην ἴσον. καὶ φίλος ἀθανάτοις.

quod Politianus carmine sic reddidit:

Servus Epictetus: mutilati corporis: Irus

Pauper: at hac inter charus eram superis.

Servum se natum, ait, quæ vilisfima in terris conditio; corpore quoque, cujus charitas omnibus maxime innata est, mutilatum fuisse; sed ἔ' egenum, nequid ma-
lis

(s) Lib. IX. de perenni Philosoph. (t) Carmine de seipso p. 117.

(u) in Philopatride. (x) Versus conservarunt scriptis suis A.

Gellius lib. II. c. 18. p. m. 94. & Macrobius lib. Saturn. c. 9. p. 124.

lis deesset, ad mendicitatem usque: in hac tamen tam miserabili, tamque si hominum iudicia spectentur, vilissima conditione tantum abesse, ut a Diis neglectum se crederet, ut de amore ipsorum & charitate, futuri seculi spe, non dubitaret. O virum! o sententiam merito hic CASAU-BONUS (y) in clamat: dignam quæ cordibus omnium, qui ad veram beatitudinem & æternas sedes adspirant, inscribatur; & memoriæ præsens semper obversetur. Neque vero est, quod nobis e schola SPINOSÆ (z) quis objectet; idem argumentum, si valeat, ad bruta etiam accommodari posse. Nam stabulari equum unum in otio & pabuli affluentia, deliciisque, quæ in ipsum cadunt, summis: alium e contrario inter durissimos labores, inedia premi, sub aspero ac intolerabili possessoris iugo gemere, enecari etiam oneris quandoque ac laboris nimietate. cum tamen de horum post mortem vita ne in somnio quidem cogitemus. Miserum sane a Philosopho, & corpusculari maxime objectum argumentum est. Idem, ac ignem, si materia non alatur, sed, ea deficiente, pereat & extingvatur, quis dolere velit: aut eum, qui emtum sibi horologium vel corrumpere imperite tractando, vel malefanus in ignem projiceret, quis in jus vocaret, de injuria, hoc modo, automati illata. Sane quidquid hoc casu ægre fertur, id vel mei, vel tui causa, quibus tale quid usui esse potuisset, vel artificis ergo fit, in cuius animo artificii forte sui contemptus mœrorem poterit excitare. Qui aliter dolet; ille vel ineptit cum mollibus fœminis, quibus gallina mactata lachrimas

Obj. I. Spinosa
nositar,

C 2

ex-

(y) *Animadvers. in vers. eisdem, Edit. Lugd. 1670. 8vo. (z) Vol. Epist. p. 456. Ep. 25.*

exprimit: vel cum CAMPANELLA (a) insanit, omnibus rebus spiritum contribuente. Physico hæc abunde sufficient ad respondendum vexatæ hactenus quæstioni. ceteris, ut animum in hac disciplina purgent, suaderem, & si integrum esset, imperarem. Qui vero animi tranquillitatem virtuti sufficiens præmium ita esse volunt; ut alia remuneratione opus non sit; illi ex supra citatis Lactantii verbis sapere discant. Quid quæso! afflictum in terris animum erigit? nisi mens erecta in cœlum: & qua tandem medecina tranquillabitur eadem seculi malis circumsepta præsentis, nisi futuri dulcissima lactescat spe. cum igitur cerebri inane figmentum sit, quicquid de animi tranquillitate, absq; vitæ alterius fiducia, in scholis prudentum, sub summi boni imagine, differitur, absolum esset cogitare, Deum, optimum justitiæ arbitrum, homini virtuoso, præ improbo ac scelerato, vacuum & cassum phantasma præmii loco constituisse.

Obj. 2.
quod virtus
sibi præmi-
um sit.

Probat.
II. Ex con-
scientiæ vi.

§. IX. Deinde de impiis quid fiet? hos ne impune per omnia scelerum genera grassatos esse dicemus? Sunt equidem, qui, ut virtutem sibi ipsi præmium esse, supra dixerunt; ita & improborum pœnam in eo tantum sitam esse volunt, ut malorum sibi facinorum conscii sint. Magnam vim conscientiæ esse, non inficior. Nota (b) epistola Tiberii ad Senatum, quam ita exorsus est: *quid scribam P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore: Dii me Deaq; perdant, quam perire quotidie sentio, si scio.* qua recitata, addit Tacitus: *adeo facinora atq; flagitia*

(a) Philosoph. Rational.

(b) Tacitus lib. VI. Annal. c. 6. & Sveron. in Vit. c. 67.

gitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neq̄ frustra
 praestantissimus sapientia [PLATONEM (c) hic intelligi
 scite GROTIUS (d) monet] firmare solitus est, si reclu-
 dantur tyrannorum mentes posse aspici laniatus & ictus:
 quando ut corpora verberibus, ita sevitia libidine, malis con-
 sultis, animus dilaceretur. Gravius exemplum in Ca-
 tilina SALLUSTIUS (e) affert: ejus, inquit, animus im-
 purus, Diis hominibusq̄ infestus, * neq̄ vigiliis neq̄ quietibus
 sedari potuit; ita enim conscientia mentem excitam vexa-
 bat. Igitur color ei exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modo
 tardus incessus, prorsus in facie vultuque vecordia inerat.
 Quo de TULLIUS (f) sapienter judicat; dum inquit:
 neque putandum eos, qui aliquid impie scelerateque commi-
 serint, agitari & perterreri furiarum tædis (sicut in fabu-
 lis erat) sua quemque fraus, & suus error maxime vexat;
 suum quemque scelus agitat & quæ sequuntur. Quam-
 vis igitur PLAUTUM (g) vere etiam dixisse existimē:
 Nihil est miserius, quam animus hominis male conscius: tamē An pœnæ
 ad luendam pœnam tot scelerum generibus pro- improborū
 vocatam hæc adeo non sufficere existimo; ut ea po- sint mala
 tius cruciamenta futuri gravioris supplicii nuntios tantū con-
 infallibiles esse, mihi penitus persvadeam. Quid e- scientia?
 nim is timeat? sapienter non nemo ait (h) qui animum
 una cum corpore sibi persuasit interire. Absit etiam, ut
 metum, ne quis hominum detectis sceleribus ipfos
 in judicium trahat, hunc male consciis terrorem in-
 cutere credamus. Triste Neronis exemplum ali-

C 3

ud

(c) Lib. IX. de Republ. (d) Lib. I. de Verit. Relig. Chr. §. 24. (e) Bell.
 Catil. p. 38. & de Jugurtha idem fere Bell. Jug. c. 72. vide quæ
 congescit Pfannerus Theol. Gent. cap. VIII. §. II. (f) Orat. pro
 Rosc. Amerin. (g) Mostellar. Act. III. Sc. I. (h) Auctor Philo-
 soph. Burgund. Tract. III. p. 587.

ud docet. Nec sceleris quod matris cæde contraxerat, conscientiam, quanquam & militum & senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut postea unquam ferre potuit, ait SVETONIUS (i) de ipso, sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus, Ut adeo, malam conscientiam in solitudine etiam sollicitam esse, SENECA (k) verissime dixerit: & sceleris conscios animos angore excruciatos esse, cum nulla hominum iudicia essent, non infelicius scripserit TULLIUS (l). At, quid? si Deistarum quis, eam conscientia sustulerit vim, atque recensita hucusque exempla pro terriculamentis habeat, quæ præiudiciis parentum, sacerdotum, præceptorum aliorumque comminationibus fabulosis debeamus? Talis igitur, quod improbitatis suæ pœnas in hoc seculo se nondum dedisse, ipse profiteatur, tremendo Dei iudicio indubium servabitur, cum evicta superius iustitiæ divinæ argumenta firmissimo adhuc dum talo consistant. Quod si quoque improbam sententiam falsitatis arguere vellem: quærerem ex tali; quamobrem conscientia vis major in senibus quam pueris & adolescentibus sit? quod si enim hoc infantia terriculamentum est; quare non decrescit, ut ceteræ, quas imbibimus fabulæ, cum annis; sed augetur? cur eo propior cuivis graviorque est: quo magis a tenui isthac ætate quisque abit. BIONEM Borystheniten (m) exemplo damus. qui Θεοὺς ὡς οὐδὲν εἶσιν ὄντως, Deos revera, nihil esse, dixerat semper: ast, morti vicinū, avertit ab errore animus instantis iudicii præsentiens gravitatem.

An conscientia ex infantia tantum præiudiciis?

Quare major eius vis in senibus?

(i) in Vita ejus c. 35. (k) Seneca Ep. 40. sub fin. (l) de LL. lib. I. p. 443. (m) Laertio teste lib. IV. segm. 55. p. 259.



tatem. Ejeravit enim is non errorem solum, sed iratum placare numen, precibus ac hostiis, frustraneo quamvis opere, contendit. *Stultum enim fore*, idem autor ait, *qui mercede voluerit Deos esse; quasi tunc essent, cum ipsos Bion demum esse arbitraretur.* Hinc recte PLATO (n) *Cum jam prope est, ut quis monituum se putet, tunc metus eum ac sollicitudo subit, de quibus antea non constituerat cogitare.* Id quod TULLIUS (o) etiam voluit: *nescio*, inquit, *quomodo inheret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum.* Ut adeo improbam Deistarum sententiam merito ex scholis sapientum exulare jubeamus.

§. X. Deum & naturam, ut novum nunc locum Pr. III.
 excutiam, nihil frustra fecisse, inter omnes in con- Quia non
 fesso est. Quod si itaque homo est conditus non so- frustra ho-
 lum: sed etiam, TULLII (p) ore loquor, *ad ejus com- mo condi-*
moditates & usus tantam rerum ubertatem natura largita tus,
est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito
nata videantur: ipse non minus, cujus gratia tot con-
dita esse videmus, ob finem singularem eumq; no-
bilissimum procreatus esse, existimandus est. Ho-
mines equidem hominum causa generatos dici-
mus, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint: hi ve-
ro ipsi propter quid demum producti sunt? An
otiosos tantum orbis spectatores credes? aut gur-
gites atque helluones, natos abdomini suo? Parum
fane honesti habet, suem Bæoticum agere, & sum-
mmum bonum, verbo venia sit, ponere in cacando
 (q) Quod si itaque causam mortales, propter quam
 con-

(n) Lib. I. de Republ. (o) lib. I. Quæst. Tusc. p. 10. (p) lib. I. de LL.
 (q) De spurcissimo hoc hominum genere Pindarum vide Olymp.
 VI. vers. 14. & Athenæum lib. X. c. 4. apud quem civium in Bæ-
 otia vulgus nullum esse dicit, bonum majus, quam cacaturire.



conditi simus, nec videamus hic, nec assequamur; quidni istud, quo excidere nequimus, præstolemur. Id est, tempus expectamus, quo, quid causæ sit, cur creaverit nos Deus, ipse nobis faciat manifestum.

Prob. IV. Ex hominis innato vitæ alterius desiderio. §. XII. Tandem nec illa parvi momenti res est. quod tanto desiderio vitæ alterius flagremus boni omnes, ut vel hac ipsa cupiditate nostra in vitam æternam imminere videamur. Sapienter ATHANASIUS (a) eodem ex loco sic agumentatur: *quomodo anima hominis, nisi ejus mortalitate præstructa, temporario corpore æterna meditetur, & contemtis quæ ante pedes sunt, ad æterna desiderium suum intendat?* Quod ipsum æternitatis desiderium adeo animos quorundam invasit: ut THEOMBROTUM (b) lecto Platonis Phædone, ubi de animæ immortalitate agit, in mare se præcipitem dedisse sciamus, eo fine, ut æternæ mox vitæ fieret particeps. Sane si nihil frustra Deus & natura faciunt: hunc nobis appetitum ob quidnam tandem ingeneratum esse censebimus? An miseris piorum hominum mentibus illud sic Deus; ut suos pulchre atque cum suavitudine quadam decipiat? Absit! ut limam veritatis autoremque fide & fallaciter agere nobiscum, resque conditas turpissimis præstigiis circumvenire dicamus! Ceterum, qui hoc animi nostri futuræ felicitatis augurium, studiumque non naturæ tribuerit; sed pueritiæ denuo nostræ præjudiciis, quæ aliorum in nobis progenuerit autoritas; contra eum, inter cetera, quæ superius expedita sunt, ad gentium omnium provocarem consensum. Græcos enim, Romanos, Germanos, Gallos, Anglos, Hispanos, Svecos, Danos; neque Europæos solum, sed utriusque etiam Indiæ & Africa incolas, omni tempore, ætate omni, in barbaria æque, ac optimorum studiorum flore maximo, vitam æternam credidisse, expetiisse, ac desiderasse e Philosophica historia nunc clarum facerem. Sed, cum spatium non detur; ego verba nunc dare tantum cogor: nobilissimam materiam proximæ occasione servaturus.

(a) Orat. contr. Gent. p. 27. (t) Tullio lib. 1. 2. T. & Augustino lib. I. de Civ. Dei c. 22. testibus.

DD A 6307

ULB Halle 3
002 937 14X



80

V. 17

Rehov







56

8

Q. D. B. V.
DISSERTATIONE METAPHYSICA
VITAM AETERNAM
EX RATIONE GENTIVMQVE
CONSENSV,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE IVVENTVTIS AC DOMINO,
D. FRIDERICO WILHELMO
ELECTORATVS BRANDENBURG. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

SVB MODERAMINE
IOH. PETR. LVDOVICI,
LOG. METAPH & POES. PROF. PVBL.
SVIQVE COLLEGII h. t. DECANI,
PRO CAPESSENDIS SVMMIS IN PHILOSOPHIA
HONORIBVS,
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA
ASTRVET ET PVBLICE PROPVGNABIT
IOHANNES HENNIG,
WALWICENSIS SAXO.

D. V. Decembr. clō Iōc Ivc.
H. L. Q. S.

TYPIS CHRIST. ANDR. ZEITLERI, ACAD. TYP.

